

hanc exactam repletionem ideò requiri, ne aër circa globi ambitum copiosior se insinuans effectum speratum impediat aut retardet saltem: Videbamus orbiculum coriaceum intra capsulam A ideò reponi, ut aëris externi subingressio ex ea parte prohibeatur, atque adeò non parum referre, quam habeant inter se canalis ipsius orificium & capsulae id ambientis orbiculi que hanc explentis amplitudo: Videbamus rimulam G (num. 1. expressam) ab orificio B versus oppositum A eo consilio remotam esse, ut aër omnis inter B & A contentus ad hanc oppositam extremitatem retraheretur, & sic externo per B irruenti libera parata esset via per totam tubi longitudinem tantò acceleratiore motu decurrendi, &c. quæ omnia Autor laudatissimus subticuerat, ne ratione quidem ullâ effectûs enarrati subjunctâ, quæ nos aliàs à præjudicio supernè memorato statim potuisset liberare. Plenaria namque explosionis hujus ratio nunc obvia & plana in his consistit: Aperto epistomio D recipientis exhausti, aër intra tubulum A B contentus vi elateris connati per rimulam sub A latentem & canalem inde ad C retrò sub tubulo vitreo reflexum promptè ruit in locum vacuum, & hoc pacto externo aëri occasionem dat, elaterium suum pariter exercendi utrinque in orificia A & B cum magno utrobique conatu in tubulum maximam partem evacuatum irruendi. Impeditur autem is aër qui orificium A circumstat, cùm hoc ab orbiculo coriaceo tectum sit undique. Et quamvis hujus etiam aëris orbiculo huic coriaceo incumbentis vis tanta sit, ut videatur hoc impedimentum amoliri facilè ac intra tubuli cavitatem protrudere debere; non potest tamen hoc efficere ob geminam rationem: Primò ideò, quod orbiculus foramine tubi notabiliter major sit, ut non nisi parte sui mediâ centro proximâ ipsi respondeat, extimo autem foramen undique cingente quasi annulo valvulae marginibus incumbat; quo fit, ut quantum externus aër ad A in partem orbiculi mediam agit introrsum eam propulsurus, tantundem præterpropter

Causa fabricæ & Phæn. 3. genuina.

Causa 3. Phæn.